



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Externis Regulis Amoris Et Morum, Legibus Utique, ac Præceptis
Virtutum Theologicarum, & Cardinalium, necnon Decalogi & Ecclesiae -
Libros Vndecim Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput X. Mortalis detractionis reus est, qui publicæ diffamatum in uno
peccati genere, in alio non connexo diffamat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73203)

sed in parte, & quidem in parte notabili, dum notabile crimen proximi revelatur uni viro gravi & prudenti, uti patet in iudicio temerario, vel ab uno concepto de gravi crimine alterius.

70 3^o. sicut pluris facienda est bona opinio apud unum virum gravem, prudentemque, quam apud multos imprudentes & leves; sic pluris facienda est bonæ opinionis corruptio apud unum virum prudentem, &c. Rectè proinde Sotus l. 5. q. 10. a. 2. conclus. 4. *Mallem crimen meum notum esse tribus, aut quatuor, quam uni gravissimo viro. Nam quamvis ex una parte presentius periculum imminet, ab illis divulgatum iri, quam ab isto; tamen ab altera parte ego pluris æstimo, in bona esse estimatione apud illum virum gravissimum, quam apud plures alios minoris estimationis. Unde infamia non est solum accipienda hic in rigore iuris, quando est apud plures; sed etiam secundum rei naturam.*

71 4^o. vix est probus & honestus, qui non ægrius fert corruptionem bonæ famæ suæ apud unum vel alterum virum gravem, quam iacturam magnæ summæ pecuniariæ.

72 5^o. si mortale non sit, grave crimen alterius uni amico prudenti revelare; neque hic amicus prudens mortaliter peccabit, alteri amico prudenti revelando; nec iste sursum revelando alteri. Atque ita crimen occultum proximi sine peccato mortali passim fieri poterit publicum (nemo est enim, qui amicum non habeat, quem credit prudentem) id autem concedi non potest.

73 Conjuges tamen sibi invicem revelare possunt occulta crimina filiorum, aliorumque domesticorum. Quia hoc spectat ad rectam familiæ administrationem. An etiam Religiosi Prælati occulta peccata Confratrum? Non, si gravia sint, nec Communitati nociva, per fraternamque correctionem emendabilia. Quia Religiosus mallet crimen suum feci à pluribus aliis, quam à solo Prælato suo, meritòque ægrius fert infamiam apud Prælatum, quam apud 20. fratres. Qua de re plura dixi agendo de correctione fraterna. Nec Confessariis pœnitentes absque necessitate revelare possunt delicta complicum, sub prætextu causæ utilis. Non enim sufficit quacumque utilitas, sine necessitate. Aliàs liceret occultum crimen proximi, per fraternam correctionem emendabile, Judici immediatè deferre. Quod est contra Evangelium.

CAPUT X.

Mortalis detractionis reus est, qui publicè diffamatum in uno peccati genere, in alio non connexo diffamat.

74 Ita Adrianus quodlib. 2. diffic. 1. Salomius, Arragonius, & alii passim. Quia laborans infamiam in uno peccati genere, non idè amittit jus ad famam in alio genere. Publicus namque concubinarius v.g. non prop-

tereà excidit famam hominis à re aliena manum cohibentis, vel fidem Catholicam profitentis. Si tamen peccata sint connexa, justè diffamatus de uno, absque injuria diffamatur de altero. Quia ex peccatis connexis una resultat infamia. Nova proinde infamia non inuitur meretrici, si de ipsa dicas quòd juvenem ad peccatum verbis vel gestibus provocaverit.

Non placet ergo Sylvester verbo *detractionis* indistinctè dicens, non esse mortale, infamatum in uno genere graviore, infamare in alio leviori: tamen non diffitear, aliquos homines esse famam adeò prostituta, ut parum ipsis accrescat infamiam, si aliud crimen, etiam non affine, de ipsis dicatur; idèque tunc non sit nisi veniale.

CAPUT XI.

Non est mortale contra justitiam, nec contra charitatem, nescientibus revelare crimen aliquis, in loco ubi de eo justè diffamatus est, sive per publicam sententiam Judicis, sive per notorietatem facti, vel famam.

Et sententia communis. Sed ante probationem notandum 1^o. crimen proximi tripliciter esse posse publicum, seu notorium. Primò publicitate juris, quando per confessionem vel convictionem in iudicio, vel per sententiam Judicis de eo constat. Secundò publicitate facti, dum crimen patratum est in loco publico, coram multis. Tertio publicitate famæ, vel (ut alii) publicitate indiciorum, quando fama criminis, ex sufficientibus indicis orta, pervenit ad multos de Communitate, ad majorem scilicet partem illius, vel ad tot de Communitate personas, ut spectatis circumstantiis, moraliter fieri nequeat, quin ad notitiam majoris partis Communitatis, seu Civitatis, Pagi, Parochiæ, Viciniæ, Collegii vel Monasterii deveniat, ut si notum sit septem vel octo personis de Communitate, constante viginti personis; vel notum sit quidem vel viginti personis diversarum familiarum, de Communitate centum, vel mille personis constante.

Notandum 2^o. crimen notum majori partem unius loci, non censeri publicum nisi respectivè ad eum locum. Unde si fama criminis solum vigeat in majori parte viciniæ, non illicò publicum censetur in tota urbe, si valde sit spatiosa; sicut nec eo ipso quo fama illius vigeat in una urbe, publicum censetur in tota Provincia. His notatis

Probatur, id non esse contra justitiam, quia dum quis uno loco justè diffamatus est aliquo ex dictis modis, illo in loco excidit jure ad famam, & per accidens est quòd illam apud aliquos ignorantes adhuc retinet. Neque enim jure, sed factò dumtaxat retinet. Si enim de eo diffamatus sit per publicam Judicis sententiam, infamia ipsius censetur pars pœnæ pro peccato à Judice inflictæ: cum eo loco & tempore sententia publica profertur, quo magna esse solet populi frequentia, ut